

tias sive eorum ecclesiis sive ipsis religiosis concedit.<sup>59</sup> Sed, si aliquas extraordinarias facultates curam animarum concernentes habebant, hoc abrogare ac in episcopos transferre conatur. Sic in Brevi Urbani VIII continebantur facultates circa reservata, circa administrationem communonis, assistentiam matrimonii etc. Quia vero Breve concessum fuerat ad duodennium, nunc S. Congregatio illum suprimere conatur, quotiescumque Franciscani ejus confirmationem quaerebant.<sup>60</sup>

<sup>59</sup> Vide *Archivum Prop.*, Acta, 1622—1625, v. 3 f. 265r, 224r, 120r; Acta, 1651, v. 20 f. 100rv f. 75v—76r; Acta, 1655, v. 24 f. 27v — etc.

<sup>60</sup> »Quoad confirmationem Brevis sic rescripsit: Sacra Congregatio censuit si Sanctissimo placuerit, deinceps facultates concedendas esse episcopis Makariensi, et Bosnensi aut Bosnae et Scardonae administratori pro tempore cum potestate communicandi illas, quae non requirunt ordinem episcopalem, parochiis eorum, praevia approbatione, praeficiendis« (*Archivum Prop.*, Acta, 1638—1639, v. 13 f. 18r). Anno autem 1651, quia istae facultates ad duodennium dabantur, die vicesima Novembris fr. Stephanus a Diakovo petit confirmationem dictorum privilegiorum Urbani VIII, quae sunt »concessa parochis ordinis supradicti«. S. Congregatio confirmavit rescribens: »S. Congregatio petitioni oratoris annuens jussit prius adiri Sanctum Officium« (*Archivum Prop.*, Acta, 1651, v. 20 f. 179r). Cum vero septem annis postea provincia confirmationem quaerebat »la conferma di questo Breve in perpetuo« — rescripsit S. Congregatio: »Quoad confirmationem scribatur episcopis Bosnae et Bellogradi, et aliis earum regionum pro informatione et praesertim quid fuerit observatum ab eo tempore, quo praefatae facultates expirarunt. Quo vero ad concessionem in perpetuum... Nihil« (*Archivum Prop.*, Acta, 1658, v. 27 f. 232r—233r die 19 Augusti). Utrum postea quolibet duodennio Franciscani confirmationem petierint, an vero nunc pro semper erat confirmatum post informationes ab episcopis acceptas, latet nos, quia documenta desunt. Post centum autem et plus annos S. Congregatio (scilicet a. 1771) dubitat de prorogatione illorum privilegiorum (Urbani VIII) praesertim ratione possessionis, quia dicit fratres »numquam a Sede Apostolica confirmationem privilegiorum (hujusmodi) reportasse« (Jelenić, Izvori, 45, n; 32). — De privilegiis in jam saepe nominata bulla »Cum hora jam undecima« Joannis XXII conqueritur episcopus bosnensis Maravić a. 1658 S. Congregationi: »Che il Provinciale non possa dare facoltà a Parochi o altri confessori d' assolvere da casi riservati, concedere indulgenze, e far altri atti giurisdizionali, che si arrogano in virtù de alcuni asserti Privilegi de Giovanni 22« — ad quod S. Congregatio rescripsit: »Audiatur Commissarius generalis Ordinis« (*Archivum Prop.*, Acta, 1658, 27 f. 130rv). — Contra indulgentias autem concessas Franciscanis a. 1639 ab Urbano VIII episcopus Boncarpi scribit